



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXV. Ignatij cum Chartusiano suo quondam magistro de Societate  
fundanda colloquium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

adessent, in iis Maria de Oriola, & Simona de Alzaga ipsius sobrinæ dum noctes aliquot excubant spectatrices fuere rei admirandæ, nam cum aliquando ad quietem aliquam recessuræ, accensam in omnem euentum candellam relinquerent, extingui iussit, monens, importunius obstantes, si quid contigeret, lumen sibi à Deo minimè defuturum. Extincta igitur candela abeunt, ipse cuius ad agendum cum Deo animus ex benè anseus habito corpore minimum pendebat, mentem applicat ad orandum in quo dum horas aliquot traducit igne illo beato diuini amoris cæpit vehementius ardere, quem olim expertus fuerat, utque alias, non satis eius flammæ compos, laxare pectus longis suspiriis, magnisque vocibus cogebatur, in eiusmodi aliquos tunc etiam clamores erupit: ad eos extemplo cognatæ accurrere, cubiculum pandere, & cælesti quo totum lucebat splendore attonitæ stupere; nec minor Ignatij cum pudore stupor, dum se ea in luce videt inopinato deprehensum. Quare illas infimis precibus æterno de hac re silentio obstrinxit.

## XXV.

*Ignatij cum  
Chartusiano,  
suo quondam  
magistro de  
Societate  
fundanda  
colloquium.*

Recreatus ex morbo, iter ad discessum comparabat, quod ubi percrebuit, uterque mox ordo, & clericorum, & populi cum obsidere, verbis, lacrymis obsecrando, suadendo, ne se desereret, flagitare, neve ciues suos externis post haberet; cum suos præsertim labores cerneret, nec male positos, nec eorum messem ipsius arbitrio maligne respondisse, teneri tamen his minimè valuit, quòd diceret, (& ita res erat) alio se à Deo vocari. Obiciebat præterea parum sibi Aspetiam conferre, quod perinde illic in suorum complexu velut in sæculo ageret: fuit ipsi quoque non parua lis cum Garzia fratre, hic enim illius humilitati sanctæ obsecutus, licet ægrè id ab se impetraret, ut eum sineret mendicatò, & in pauperum domo victitare, sperabat profecturo saltem, equum, & famulos se daturum, à quibus si minus ulterius, deduceretur vel ad portum ubi esset in Italiam conscensurus. Id enim ab se præter fraternum animum, decori etiam titulo exigè, & vrbauitatis apud homines confirmatæ, interpretaturos alioqui haud dubiè, illam Ignatij immoderatam modestiam, duritiem Garzia inurbanam, eoque pronius quod annus in hiemem vergens, & corpus à morbo debile, recidiuam ex longo itinere valetudinem minabantur. His tamen vinci, nec Ignatius potuit, nec vicit. Admisit fratris, cognatorumque comitatum, sed non vltra fines Cantabriæ hoc est tractu milliarium paucorum; inde illis supremum salutatis Xauerium versus, Almazanum, Toletum, pedes viam iniuit, explicaturus Xauerij, Lainij & Salmeronis negotia. Deinceps Valentia Segorbem profectus suum olim Parisiis magistrum, & amicissimum; illic verò tunc in Carthusia Vallis Christi professum M. Ioannem de Castro inuisit, & pro veteri necessitudine sua cum eo consilia de petenda Italia, inde Palestina contulit, deque aut illic aut vbiuis monstrare dignaretur Deus, stabiliendo Ordine, qui ex instituto salutem haud minus alienam, quàm propriam virtutemque curaret. Eius illi proposuit ideam, descriptis præcipuis ex illo partibus quod eatenus rude, impressum animo cœlitus

cœlitus gerebat exemplari : illos præterea quos operis socios legerat nomi-  
 nauit, Xauerium Fabrum, Lainium, cæteros, probè illi, ac pridem notos.  
 Postremo de hac re quid ipse sentiret confidenter quæsiuit, eiusque preci-  
 bus eam commendauit, responsum distulit Ioannes in diem posterum, no-  
 ctémque cum Deo solidam super eo transegit. Postridiè mane totus læti-  
 tia gestiens, vt qui hoc esse Dei opus, Deo monstrante præcepisset, ad vi-  
 gendum quod cœperat, vehementer Ignatium animauit. Addiditque de  
 prosperis in Dei gloriam illius successibus, ita sibi constare, vt non dubita-  
 ret, omiſſa Chartusia, vbi tyro iam erat aliquot mensium, se illi socium ad-  
 iungere. Sed absit, inquit Ignatius, & illum è contrario, solitudinis sanctæ,  
 ad quam vocatus fuerat amore acrius incensum, post pactam inuicem mu-  
 tuarum precum communionem perpetuam reliquit; huius porrò certam,  
 colloquij fidem, eius Chartusiæ tum veteres tabulæ; tum eius monachi  
 virtute insignes, fecerunt qui de Castrij ore ista exceperant, ac trium deni-  
 que ex iis Patrum testificatio auctoritate publica, iuridico firmata, ex cu-  
 ius autographo Ianu. 8. anni 1641. subnotato, placet hîc aliqua ponere,  
 quæ rei modum pressius indicant: *Sanctum Ignatium*, inquit P. D. Anto-  
 nius Martinus de Altariba, *anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto,*  
*è Ciuitate Valentia in Regium Vallis Christi Chartusianorum conuentum ac-*  
*cessisse, vt suum videret dilectissimum præceptorem P. D. Ioannem de Castro,*  
*& suum insuper aperiret animum, de fundanda Societate Iesu, antea conce-*  
*ptum: in eius ad Deum precibus felicem tantæ rei exitum collocabat. annuit*  
*D. Ioannes de Castro votis Ignatij, & illo vespere, nocteque proxima, Deum*  
*ardentissimè, super hac vna res precatus est; sequenti die, sic est Ignatium*  
*allocutus. Ita ô Ignati, tua de fundanda Societate Iesu arrident vota, vt si*  
*luket, Chartusiam deseram. Nouitiis sum nondum votis adstrictus: meam*  
*opem, operam, vires, consilium, in te vnum transferam, dummodo tantæ molis*  
*negotium, felicem exitum consequatur. Ad quæ Ignatius. Nequaquam Re-*  
*uerende Pater: sta in cæptis, tuis me precibus Deo commenda, &c. ex ea-*  
*dem vero familia P. Andreas Solerus, suo testimonio peculiare aliquid no-*  
*tauit S. Ignatium accessisse hanc Chartusiam Vallis Christi, vt videret præfa-*  
*tum P. D. Ioannem de Castro anno 1535. & vt conferret cum illo conceptum*  
*de fundanda Societate Iesu animum. Tunc S. Ignatius expectans P. D. Castro*  
*nouitium, vespertinis horis adstantem, cum reliqua religiosorum familia sedit*  
*ad crucem cæmeterij conuentus, &c. Ad hæc denique P. D. Nicolaus Bone-*  
*tus testatur se insuper audiuisset à dictis Patribus S. Ignatium nunquam habuisse*  
*animum ingrediendi aliam religionem, nec Patrum Chartusianorum.*  
 Ignatium igitur Societatis fundandæ consilio in Italiam venisse, certo qui-  
 dem ex dictis habetur, verum multo ante id illi ostensum diuinitus, vt alia  
 taceam, duo illa probant ab eo edita de quibus libro præcedenti vaticinia.  
 Alterum Michaëli Rodesio Barcinone, prædicens fore vt eius filius adscri-  
 beretur in Societate quam erat ipse conscripturus Antuerpiæ Alterum Petro  
 quadrato, fore vt Collegium Methimnæ Campi sua in patria, religioso  
 ordini

Ordini fundaret quem esset ipse fundaturus. Quorum utrumque promissus exitus confirmavit.

## XXVI.

*Ignatij Venetias iter, & illic animarum bono ab eo gesta.*

Post hæc Valentia Genuam in naui oneraria cum vectoribus aliis se mari dedit: periculosa tunc nauigatio & valde anceps euaserat ob classem Turcicam Barbarossæ in naues & homines inmani deprædatione toto illo tractu grassantem; cui tamen periculo haud paulò tristius, remedio fuit: atrocissima tempestas, & nauim iam iamque haustura, vt miraculo fuerit, facta mercium iactura, nudam vectore incolumi appulisse. Nam post temonem decumano fluctu diffractum & vela ruptis adminiculis iam inutilia, fuit ventorum marisque ludibrio, necessariò permittenda. Hic inter vota vocisque miserorum mortem in momenta præstolantium, nihil sibi sollicitus, nihil timens tranquillum animi, orisque serenum retinebat, utpote assuetus haud alio loco quam in Dei manu cogitare se ac tutari: hoc vt postea fassus est, pungebatur vno, quod tantis erga se Dei donis parum ex officio respondisset, sanctorum est scilicet hoc stimulo vri, vt qui scite norint, magna Deidona, magnos esse nominum titulos, quibus vt sentiunt se premi grauius, eo timidi magis, ac suspensi de expediendis rationibus laborant. Mari demum sedato, nauisque vt potuit instructa Genuæ denique exscendit. Verùm aduersis ingrauescentibus, multo sauius terra quam mari adiit discrimen, superato Appennini iugo ex Genuensi ditione in Cisalpinam Galliam descendebat; hinc viæ errore, per saxosa fissi montis angusta se immittit, quæ visa primum in plana distendi, in præcipitium torrenti imminens desinebant. Pergebat spe falsa deceptus, & ferè continuo per saxa desultu, incautus iam induerat sese, cum præcipitio proximus, vt retro inde resliret se vertit. Verùm vsque ad eò inuio, & horribili ascensu reuocandum illi iter fuit, vt manibus pedibusque adreptans, prehensisque saxis se attollens, quot passus promoueret, toties fallente aut vestigio aut saxo in præceps iturum se crederet. Quo vitæ discrimine, narrauit deinde sæpius, nullum vnquam se maius, & terribilius adiuisse. Hiems erat imbris supra modum infesta, viæ tota Longobardia, eluuiouibus abrupta, iter pedestre Ignatio arumnosissimum fecerant, ex quo & Bononiæ agrotauit. Collectas enim varij perpeffionibus morbi causas, exeruit grauis corporis lapsus, cum ipso in vrbs ingressu, de ponte in fossas corruit; inde aquis vt erat & luto disfluens, ne captandi contemptus occasionem corrumperet tam bonam, vicos vrbs, quæ erant maximè frequentes, lento gradu mendicans obiuit, & quam potissimum auebat stipem, reportauit omninò largiter, nempe dicteria, & sannas quibus abundè aspersus est; nam alioqui ne obolum quidem in vrbe tam nobili, & elemosynis dedita inuenit. Exceptus tamen est Hispanorum beneficentia qui habent illic Collegium locuples, & intra hebdomadam, ex febris, & tormento stomachi curatus. Quam iter Venetiàs secutus, illuc anno quinto & trigesimo supra sesquimillesimum exeunte peruenit. Quod mihi liquidò ex autographa eius Epistola constitit, Februarij 12. ann. 1536. Venetiis data, quæ Barcinonensem Archidiaco